



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

4, Alexandri opinio falsa esse conuincitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

qui est in nobis, perficiens & in res proprias educens. Ille qui diuinus est, noster etiam intellectus vocatur; quatenus in nobis existit, ac per intellectus nostri materialis potestate agit. Quem admodum enim si artificem mente concipias, modò sine ferramentis, modò cum ferramentis quidpiam operantem: ita diuinum intellectum intelligere oportet, sempiternam quidem & solitariam sui ipsius intellectiōne habere; præter hanc verò in nobis etiam phantasia nostra materialisque intellectus potestate velut organo vtentem operari. Denique hic ipse intellectus immortalis & æternus, vt in nobis gigni dicitur, non quod tunc primum nobis adueniat (adeo enim temper à primo nostro ortu) sed quòd à nobis tunc intelligatur: Sic separari quoque affirmatur: non quòd aliò migret, locumue mutet; sed quòd intellectu materiali corrupto non amplius intelligitur.

Quadruplex  
in nobis  
intellectus.

Quadruplex igitur Alexandri sententia inest in nobis intellectus; materialis, agens, habitus, & actus. Sed is solus, qui materialis dicitur, animæ facultas est. Hunc enim solum statim atque nascimur habemus à natura. Verùm is nil significat aliud, quàm potestatem & aptitudinem quandam ex corporis temperatione natam, ad agentem intellectum formasque intellectuales, quæ in eo sunt, suscipiendas idoneam. Huic mox, tanquam organo, & materiæ, intellectus diuinus accedit, qui rerum cunctarum materialium formas abstrahens à materia intellectuales actu facit, cum antea potestate essent, atque in intellectu materiali ponit. Ita ex assidua functione multa que exercitatio ne gignitur in nobis intellectus habitus, tanquam forma & perfectio intellectus materialis ab agente intellectu producta. Is aut circa res agendas vel non agendas versatur: aut in sola cognitione & contemplatione consistit: vnde practicus aut theoreticus nominatur. Quæ diuque quiescit, habitus; dum operatur, actus intellectus dicitur. Ita materialis intellectus est vt materia, intellectus diuinus vt agens; intellectus habitus vt effectus, & forma ab agente producta & in materiali suscepta; intellectus demum actus, vt forma operans. Rursum intellectus materialis est illi per similes, qui artem consequi potest, artifexque euadere: intellectus habitus, tanquam artifex qui habitum tenet & operari potest: intellectus agens, velut is, qui habitum illum induit ac materialem intellectum facit esse actus primo; & idem est intelligendi causa. & lumini dicitur similis, quod colores potestate aspectabiles actu aspectabiles facit: denique intellectus actu tanquam artifex operans & ex arte quidpiam efficiens. Intellectus materialis verè inest in nobis, quia potestas est animæ nostræ: at intellectus agens separatus est atque extrinsecus in nobis gignitur, dum ad intelligendum adiungitur.

Hanc fuisse Alexandro de intellectu sententiam à me non minus fideliter commemoratam, quam accurate expositam, cognoscere licet ex his, quæ in primo & altero de anima libro ab eo tradita sunt.

Alexandri opinio falsa esse conuincitur.

Verùm nec Aristoteli nec veritati consentaneum est id, quod Alexander explicauit. Aristoteles namque non solum aperte dixit agentem intellectum animæ differentia esse; verùm etiam

perinde id de hoc intellectu, ac de patiente affirmavit. In anima, inquit, differentias hæc inesse necesse est. Vt igitur intellectus materialis, sic agens facultas animæ fuerit. Hoc argumento pugnantem aduersus Alexandrum, Themist. quoque ac Phil. Adiecitque Themist. illa verba 2. lib. tex. 21. De intellectu autè & theoretica facultate nihil adhuc manifestum est: sed videtur genus aliud animæ esse, & hoc solum separari posse, vt perpetuum à mortali. De intellectu enim agente hæc interpretatus est colligit animæ partem esse. Deinde Aristoteles eum comparat lumini in tex. 18. Deum non lumini, sed soli comparasset. Separabile item appellat in tex. 19. diuinus non separabilis est, sed separatus. In tex. 10. in hoc intellectu potestatem priorè actu esse ait; id de Deo, in quo potestas nulla, dici non potest. Et in eodè tex. eum scribit agere phantasia ad intelligendum; ea que corrupta non reminiscit. Quæ sententia nunquàm de intellectu diuino dixisset. Quæmodum neque illud, hunc solum immortalem esse: siquidè alij quoque immortales existit. Tum verò in superioribus dum de intellectu materiali & patiente, qui in nobis velut potestas est ad intellectuales omnia, differeret; eum planè tradidit impatibilem esse, impermissum, nulli rei comune quidquam habentem, inorganicum, suapte natura intellectuale sicut & intellectuales & immaterialia omnia. Quomodo igitur Alexander hæc ait diuinum solum intellectus propria, non item cum intellectu nostro communia? Quomodo intellectu nostrum diuinum organum esse dicit? Quomodo verum sit, diuinum solum intellectum eiusmodi esse; cum alios intellectus coplures abstractos diuino hand magno opere inferiores admittat Aristoteles? Sic enim ipse ecclestium orbium motu philosophatus est. Aut si diuinus longè præstantior sit ac superior, nonne eadè ratio, qua diuinum intellectum in nobis esse voluit Alexander, in separatis quoque mentibus eundem inesse velut agentem intellectum omnium causam concluderet? Si quidem primum in vno quoque genere ceterorum est causa. At id quàm absurdum est? Cum præsertim omnes illæ mentes immateriales sint; & idem vel ex Alexandri confessione intellectuales actu & intellectus. Mitto quod Aristoteles primum illam causam supremam celestis orbi mouedo alligauit: nihilque profus in inferioribus nisi per illius corporis motum operari voluit; locumque illius proprium ac determinatum in primo circulo esse. Tantum abest, vt eam omnibus humanis corporibus simul adesse crediderit. Denique ex tex. 51. lib. 11. Metaph. manifestissimè est nunquam illi venire in mentem potuisse, vt diuinissimū intellectum circa phantasias nostras volutari, rebusque materialibus vel etiam fortissimis, abstrahendis à materia secernendis, perpetuo occupari putaret. Fugendum hoc, inquit, est. Etenim quedam melius est non videre, quàm videre. Alioqui non fuerit quod optimū intellectu. Ita eum conficit seipsum solum intelligere. Hoc sane Alexander quoque tradidit aliquando. At quomodo cum altero illo consentiat, eum materialium omnium rerum formas à materia abstrahere atque in seipso susceptas in intellectu materiali ponere; ego quidè certe non video. Abstrahere illas namque, non potest, nec in seipso suscipere, nisi cognoscedo atque intelligendo: siquidè ipse met autem ac teste nil aliud est intelligere, quàm intellectuale formam suscipere. Non solum igitur seipsum, sed materialia item omnia phantasmata & singularia intelligeret; contraquæ à philosopho



teris aliquid inest synonymū. Non in quā ait, quod maxime est tale, causam ceteris esse, vt talia sint; sed contrā, quod est causa ceteris, vt sint talia, id maxime oportere esse tale: & ideo principia maxime vera esse debere, si veritatis conclusionis futura sint causa. Deinde, si Alexandro illam ipsam propositionem concesseris, Deum respondetis maxime intellectualem intellectibilitatis omnis causam esse; non formaliter, sed materialiter: non, inquam, quod intellectuales formas ipsas efficiat, per quas formaliter res materiales euadunt intellectuales; sed quod earum entitatem produxit, qua singulae sunt intellectuales; formaliter autem ab intellectu nostro & intellectuales sunt, & actu intelliguntur. Et ad Alexandrum quidem hæc fatiis: Quomodo enim hic intellectus dicitur omnia facere, illius substantia esse actio, & id genus alia; inter interpretandum cognoscetur.

5. *Marini, Auicennæ, & Algazelis sententia, eiusque confutatio.*

**M**arinus autem Philoponi testimonio consensit quidem cum Alexandro agentem intellectum animæ nostræ virtutē non esse: argumentis uidentur persuasus; quod intellectus noster non omnia faciat; nec per substantiam operetur; nec semper intelligat. Nequaquam tamen diuinum, sed dæmonicum potius aut angelicum esse constituit. Quæ enim dicuntur, cum phantasia illum operari, & obliuisci; diuino intellectui non conueniunt. Quod additur, luminem eum & habitui proportionem respondere; intellectum quempiam inter diuinum & humanum medium significat. Hic autem dæmonicus est, aut angelicus; inter illos medius, quemadmodum lumen inter id, quod illuminat, & quod illuminatur, medium existit; & habitu inter aptitudinem & promptam atque expeditam functionem.

Placet hoc capite Auicennæ quoque & Algazelis sententiam complecti. Ambo namque separatam intelligentiam agentem intellectum esse prodiderunt: pauloque planius, quàm Marinus, quomodo intellectuales ab ea formæ in intellectu nostro producantur, significarunt. Auicenna igitur, quemadmodum alibi de naturalium atque in rebus existentium formarū productione philosophatus fuerat, easque à separata quadam intelligentia, quam idcirco formarum datricem appellauit produci omnes in materia præparata posuerat: ita proflus de intellectibus item de eernendum sibi putauit in opere de Anima, quod sextus naturalium dicitur, parte quinta, cap. 5. Illas, inquam, omnes à sublunari intelligentia, quæ penes se cunctas habeat, in patibili nostro intellectu velut subiecto procreari, atque ita nos ad intelligendū permoueri. Quare perinde sese habere intelligentiam hæc ad intellectum nostrū, ac se habet sol ad aspectū. Vt enim Sol oculos nostros coloremque obiectos luce sua collustrans, & colores actu aspectabiles facit, & aspectum ad afficiendum excitat. Sic intelligentia illa, dum insita sibi luce phantasmata nostra illuminat, eaque sibi similia faciens, à materia & appendicibus illius repurgat; formas sanè actu intellectuales producit in intellectu patibili: non quod ex phantasia ad intellectum migrent; sed quod ex illarum consideratione disponatur intellectus, vt in eum

*Auicenna & Algazelis.*

ab agente intelligentia emanet abstractio: sic antecedentes propositiones ad recipiendam conclusionem disponunt. Eadem fuit Algazelis sententia in 2. philosophiæ libro, tract. 5. cap. 1. & 3. Intellectum agentem abstractam hanc intelligentiam esse.

Id verò nec Aristoteles somnauit vnquam; nec verè quisquā affirmauerit. apud Aristotelem aperitissima sunt illa verba, quæ aduersus Alexandrum quoque fuere proposita; agentem intellectum in anima nostra tanquam illius partem ac differentiam inesse oportere. Et illa, quæ non multo post subiunguntur; separatim hoc solum & immortale ac perpetuū esse; in eo potestatem actu priorem esse, egeretque ad operandū phantasia. Quomodo enim verum id sit de intellectu quous extrinsecus nobis adueniente: Cùm præter Dæmonium hunc & Angelicum, diuinus sit; & præter diuinū intelligentiæ reliquæ & intellectus quoque noster, quem impatibilem, separabilem, & sempiternum esse tradidit. Deinde ex 8. Physicæ & 11. Metaph. libris fuit semper omnibus peripateticis certum & exploratum nullas esse intelligentias mentesque separatas; præter eas, quæ globos cælestes vertunt. Tum verò quoniam certissimum est philosophorum illud omnium principium; Nihil operari posse, ubi non sit; si cunctorum hominum phantasmata collustrare atque ex cunctis intellectuales formas producere intellectus ille deberet; Eum omnibus ac singulis adesse oporteret: & quidem simul eodemque tempore; cùm vbique homines per totum mundum dispersi, simul & eodem tempore intelligant. At id nec fieri, nec mente concipi de intellectu, entis vllō creato potest: esseque vbi que solius Dei proprium est. Huc etiam argumentationes illæ omnes pertinent, quæ contra intellectus in hominibus omnibus unitatem circumferuntur: neque ad hanc ipsam intellectus agentis unitatem euertendam minimum habent momenti.

Porro quam ob causam putauit Marinus agentem intellectum animæ nostræ facultatem non esse, quoniam intellectus noster non omnia facit; potuisset quoque cōcludere neque dæmonicum aut angelicum esse. Neque enim hic, sed sola prima causa, vt entia sunt, facit omnia: vt autem intellectalia, cur non omnis vel etiam noster intellectus faciat? Ac rursum quæ ratio fuit illi negandi intellectum hunc esse diuinum, quod is cum phantasia non operetur, neque in illum obliuio cadat; debuisset item ad negandum esse intellectum illum angelicum, aut separatim inducere. Quod illi ipsi simplices intellectus sint, phantasia & obliuionis nec scij; atque vt philosopho placuit, mutationis omni expertes. Luminis autem & habitus comparatione ab usum fuisse Marinum, ipsius orationis contextus interpretatio mox ostendet.

Hæc Auicennam & Algazelem non minus vrgent. Proprius tamen Auicennæ fuit error, in intelligentia illa naturalium formarum datricem asserenda. Sed eius confutatio ad alium spectat locum. Inde intellectuum item formarū datricem intelligentiam cogitauit. Quare quim ruinoso ac falso fundamento nititur hæc assertio, tam facile ruit ipsa quoque & falsa esse conuincitur. Quæ verò de intellectu huiusce lumine phantasmata

*Intellectus*